

S. Dei gratia Portugalensium rex carissimo amico suo M. eadem Portugalensis episcopo salutem et sinceram dilectionem sicut illi quem multum diligit et de quo plurimum confidit (*sic*). Grates vobis reffero copiosas pro eo quod bene custoditis villam vestram de Portu et per hoc bene video et intelligo quod me et regnum meum diligitis et talem fiduciam habeo ego in vobis quod circa ea intendatis que meum respecxerint (*sic*) comodum et honorem. Preterea sciatis quia consoprinus vester Petrus Poyares est meus inimicus et atinet se cum meis inimicis qui destruunt michi meam terram et faciunt ibi multa mala. Unde rogo vos multum quatinus amore mei et rogatu non recipiatis illum in domo vestra nec etiam in ipsa civitate Portugalensis quam ut michi dicitur voluit et vult vobis furari et dicatis et defendatis hominibus vestris scilicet habitatoribus vestre civitatis Portugalensis quod non recipient illum in domibus suis nec etiam in civitate vestra Portugalensis. Et si ibi intraverit deicient inde illum aut apprehendant eum et mictant michi in manum quia bene scio quod si vos eis hoc firmiter mandaveritis ipsi facient pro vobis quantum eis dixeritis. Et propter hoc micto vobis istam meam cartam apertam ut mostretis eis illam et videam qualiter ipsi faciunt pro mandato vestro et fuit facta apud Colimbriam VIII<sup>a</sup> die Outobris per meum mandatum.